



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XXVII. [i.e. XXVI.] Idem Abbati sanctæ (a) Columbanæ Senon.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

CAPUT XXVII.

Idem Abbati sanctæ (a) Columbanæ Senon.

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum tibi de laboribus terræ parochiarum tuarum, sicut asseris, sic indultum decimas cum integritate percipere, tibi dignemur misericorditer indulgere, ut de terris, quæ infra parochias tuas rediguntur noviter ad culturam, de indulgentia nostra exigendi decimas facultatem haberes. Cum igitur tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terræ parochiarum tuarum percipias, de novalibus eas exigere satis potes; quia ibi majus tibi conceditur, minus etiam in hoc casu (b) concessum esse videtur.

NOTÆ.

1. (a) **S**anctæ Columbanæ.] Ita legitur in tertia collectione, sub hoc titulo, cap. 3. sed legendum est, Sanctæ Columbe, ut habetur in hac tertia collectione. Varia autem sunt monasteria sub titulo Sanctæ Columba; unum in Italia, de quo egi in cap. olim in causa, de restit. spol. alia tria in Gallia. In præfenti agitur de monasterio D. Benedicti prope Senonas constructo, de quo agitur in Concilio Tulenti apud Saponarias anno 859. apud Carnot. epistol. 107. & Lupum Ferr. epistol. 10. De eo videndi

sunt Fratres Sarmath. tom. 4. Gallie Christi. fol. 286. Odoni ejus Abbati rescribit Innocent. in præfenti.

(b) **Minus concessum.**] Consonat textus in cap. visis 16. quest. 2. Nec contrarium probat textus in cap. final. de translat. Episc. ubi illi, cui conceditur transitus ad majorem dignitatem, non ceditur concessus ad minorem; nam aliter consideratur plus minusve in dignitate, quam in transitu ad dignitatem; quia difficilius permittitur transire ad parem dignitatem, quam ad majorem, ut docet Jul. Pacius centur. 10. quest. 81.

CAPUT XXVIII.

Idem (a) Helvensi Episcopo.

Pastoralis officii diligentia. Et infra: Explicari præterea postulasti, utrum quis possit de molendinis, & piscariis necessarias expensas deducere prius quam solvat decimas ex eisdem, sicut est in negotiatione concessum. Ad quod sine præjudicio melioris sententiæ respondemus, quod licet circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, cum ipsæ venduntur, credamus deducendas expensas, & de residuo quasi de lucro decimas persolvendas, ut si vendatur domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut quælibet merces: expensas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis ex illis, de quibus fructus proveniunt, non credimus deducendas, etiam si fuerint decimate: quoniam salvâ decimâ efficiuntur eorum fructus, qui faciunt ipsas expensas. Fructus autem ipsos alienare posse non credimus, nisi cum onere decimarum: nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ persolvuntur, credimus deducendas expensas de proventus decimandis; quia penes dominum res permanent restauratæ, ut si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus destruat.

NOTÆ.

(a) **H**elien.] Ita etiam legitur in cap. 4. hoc tit. in 3. collect. & in cap. pastoralis, de re-

script. ubi alias partes hujus decretalis congesti, & præsentem inscriptionem exposui, & hujus textus commentarium dedi supra in cap. cum sint homines. 7.